

I

MOTU PROPRIO  
DE ROTA NUNTIATURAE APOSTOLICAE IN  
HISPANIA DENUO CONSTITUENDA

PIUS PP. XII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolico Hispaniarum Nuntio constat iam a saeculo XVI a Summis Pontificibus singulares privilegium collatum fuisse ecclesiasticas causas cognoscendi et terminandi. Quod perveturtum tribunal per Apostolicam Constitutionem *Administranda Iustitiae*, die 26 martii 1771 a Clemente Pp. XIV latam, novam ordinationem et nomen nactum est Rotae Nuntiaturae.

Quae Rota Apostalicae Nuntitiae, a civitate plene recognita ac sus-tentata, iudicibus ex variis catholicae nationis Hispanicae provinciis aequ delectis, quorum plures magnam assecuti sunt famam, diu viguit et floruit.

Lamentabilis autem rerum publicarum perturbatione, qua paucis abhinc et solemnis cum Sancta Sede conventio abrupta est, et sacramentalis natura matrimonii denegata, et sacra quaque pessumdata, fecit ut ipsa Rota sub-verteretur. Quaredecessor Noster Pius Pp. XI fel. rec., die 21 iunii 1932, Rotam Nuntiaturae Apostolicae in Hispania iure suppressit.

Nunc vero, cum eiusmodi incommoda remota sint atque sacramentalis matrimonii natura iterum agnita, complurium Hispaniae Antistitum nec non publicae rei Moderatorum votis obsecundare cupientes, denuo constituendam censuimus Rotam Nuntiaturae Apostolicae, tribunal mere ecclesiasticum pro causis ecclesiasticis ad tramitem iuris canonici agendis, eamque praesentibus litteris constituimus atque sequentes normas vim legis habituras eidem tribuimus, nostri temporis condicionibus opportune accommodatas:

NORMAE  
A ROTA NUNTIATURAE APOSTOLICAE IN HISPANIA  
SERVANDAE

CAPUT I

*De constitutione tribunalis*

Art. 1.—Rota Nuntiaturae Apostolicae, Matriti constituta, est tribunal collegiale, ordinarium, praesertim ad recipiendas appellationes contra sententias ecclesiasticas in Hispaniae dicione latas.

Art. 2.—Rota constat ex er septem Auditoribus, quibus praeest eorumdem Decanus, primus inter pares: Iidem viri ac attigerint septuagesimum secundum aetatis annum emeriti evadunt et a munere cessant.

Art. 3.—Auditores sacerdotes sint oportet, civitate Hispani, ex legitimo matrimonio nati, matura aetatis, laurea doctorali saltem in iure canonico praediti, honestate vitae, prudentia et iuris peritia praeclari.

Art. 4.—Auditores post Decanum ordine sedent ratione antiquioris nominationis, et in pari nominatione ratione antiquioris ordinationis ad sacerdotium, nisi iunior ordinatus sit a Romano Pontifice, et pari nominatione et ordinatione presbyterali, ratione aetatis (can. 106, 3.º).

Art. 5.—Vacante decanatu, in officium Decani ipso iure succedit qui primam sedem post decanum obtinet.

Art. 6.—1.º Auditores libere eliguntur a Romano Pontifice, perspecto indice candidatorum, quos conventus Metropolitanorum, collatis consiliis cum suis Suffraganeis, idoneos iudicaverit.

2.º Praeses conventus Metropolitanorum indicem et Nuntio Apostolico et Status Moderatori simul mittet, ut hie, si quas habeat politicas generalioris ordinis difficultates adversus quemquam candidatorum, exponere queat. Cum vero Nuntius Apostolicus Gubernii responsionem acceperit aut cum, triginta diebus ab misso indice praeteritis, nulla ei responsio significata sit, indicem Apostolicae Sedi transferendum curabit.

3.º Auditoris nominatio a Summo Pontifice facta Hispaniae Moderatori significabitur, qui, eadem nominationis die, decretum feret quo novus Auditor uti Status magistratus agnoscitur eique propria tribuuntur civilia iura.

4.º Nominatio eodem tempore promulgabitur ab Apostolica Sede et ab Hispanico Gubernio.

Art. 7.—Auditores sunt praelati domestici Sanctitatis Suae, eisque competunt omnia iura et privilegia huius gradus propria.

Art. 8.—Sunt praeterea Nuntio Apostolico adiuvando Auditor-Adssessor atque Abbreviator, qui eidem praesto erunt prout ipsi opus fuerit. Hi duo Officiales, civitate Hispani, libere ab Apostolica Sede diligentur iisdemque iuribus ac officiis fungentur quae hactenus exercuerunt.

Art. 9.—Sunt quoque in Rota Promotor iustitiae pro tuendo bono publico et Defensor vinculi matrimonii et sacrae ordinationis; eisque dari possunt substituti, qui, sub eorum ductu, bonum publicum vel sacrum vinculum tueantur.

Art. 10.—Promotor iustitiae et Defensor vinculi, eorumque substituti, oportet sint sacerdotes, civitate hispanica gaudentes, laurea saltem in iure canonico insigniti, maturae aetatis, bonis moribus, prudentia as iuris peritia praestantes.

Art. 11.—Promotor iustitiae et vinculi Defensor, nec non eorum substituti, eliguntur a Summo Pontifice, pree oculis habito indice candidatorum quem conventus Metropolitanorum, collatis consiliis cum suis Suffraganeis, per Nuntium Apostolicum exhibuerit.

Art. 12.—Ad conficienda et custodienda acta iudicialia sunt quoque notarii, seu cancellarii, itemque scriptores ad eadem exscribenda; omnes sacerdotio aucti, civitate hispanica gaudentes, et laurea doctorali aut saltē licentia in iure canonico praediti; eisque a Decano committuntur quoque cura archivi et bibliothecae nec non officia arcarii et ratiocinatoris.

Art. 13. Notarii seu cancellarii et scriptores eliguntur a Nuntio Apostolico, spectato elenco candidatorum a Collegio Rotali exhibito.

Art. 14. Expedit ut omnes Auditores, officiales et ministri tribunalis consecuti sint diploma advocati rotalis, quo melius cognoscant stilum Sacrae Romanae Rotae et cum illo se conformare studeant.

Art. 15.—Duo laici, hispani, maturae aetatis et probatae vitae, officia cursorum et apparitorum praestant; iidemque in cura atque custodia habent sedem et aulam tribunalis.

## CAPUT II

### *De officio Auditorum, officialium et ministrorum tribunalis*

Art. 16.—Rota posita est sub auctoritate Nuntii Apostolici; quare, nisi aliud caveatur, ad Nuntium Apostolicum spectat eam potestatem in Rota exercere, quam Episcopi exercent in sua tribunalia.

Art. 17.—Auditores, Promotor iustitiae et vinculi Defensor, itemque ministri Rotae iura et officia habent, quae iudicibus, officialibus et ministri tribunalium ecclesiasticorum competunt, nisi aliter cautum sit.

Art. 18.—Singuli Auditores, post nominationem, antequam iudicis officium suscipiant, coram Nuntio Apostolico, adstante Collegio Rotali, et notario in actis referente, iusiurandum praestant de munere rite et fideliter implendo et de secreto servando.

Idem iusiurandum praestant Promotor iustitiae, Defensor vinculi eorumque substituti, notarii et scriptores, coram Collegio nec non cursores seu apparitores coram Decano, in scriptis pariter referente notario.

Art. 19.—Decanus, salva auctoritate Nuntii Apostolici, universum tribunal moderatur; ideoque curat ut omnes officiales et ministri tribunalis suum munus diligenter adimpleant.

Art. 20.—Impedito Decano, eius vicem supplet Auditor antiquior qui non sit impeditus.

Art. 21.—Rota iudicat per turnos trium Auditorum, ex quocumque numero constiterit tribunal quod in praecedenti instantia indicaverit.

Art. 22.—Cum causa aliqua legitime ad Rotam pervenit, Decanus turnum statuit, iuxta ordinem temporis quo causae delatae sunt tribunal; itemque Ponentem des'gnat eum qui in turno primam sedem occupat.

• Art. 23.—In prima Rotali instantia turni eo ordine procedunt, ut primus constet ex Decano et Auditoribus secundo et tertio, alter ex secundo, tertio et quarto; tertius ex tertio, quarto et quinto; et ita deinceps ea lege ut turnus subsequens constituatur ab altero ex Auditoribus praecedentis turni et duobus subsequentibus Auditoribus, iterum inclusio Decano cum duobus postremis Auditoribus, vel cum ultimo ex iisdem Auditoribus et secundo.

Art. 24.—Si agatur de appellatione a sententia rotali, turnus *ad quem* est ille qui constat ex Auditoribus inmediate antecedentibus eos quibus turnus *a quo* constabat.

Art. 25.—Si quis Auditor infirmitate aut alia iusta causa impediatur quominus partem habeat in turno, Decanus Nuntium Apostolicum rogat ut alium Auditorem non impeditum substituat.

Art. 26.—Si Ponens a Decano designatus iustum causam habeat munus declinandi, idem munus a Decano aliis ex Auditoribus de turno committit potest, edito decreto, omnibus, quorum interest, notificando.

Art. 27.—Ad Nuntium Apostolicum spectat decernere an in causis contenciosis, ad bonum publicum tuendum, Promotor iustitiae debeat intervenire, nisi iam intervenerit in praecedenti instantia aut eius interventus ex

natura rei appareat necessarius, ut in causis impedimenti ad matrimonium contrahendum, separationis inter coniuges, piae fundationis, quoad eius existentiam, iuris patronatus pro tuenda Ecclesiae libertate, vel ubi agitur de lege processuali tutanda.

Art. 28.—Si exceptio suspicionis proponatur contra unum vel alterum Auditorem, aut contra Promotorem iustitiae vel vinculi Defensorem, de eadem iudicat ipsa Rota per turnum a Nuntio Apostolico statutum; si contra maiorem Auditorum partem aut integrum Collegium, de exceptione iudicat Sancta Sedes.

Art. 29.—Si unus vel alter Auditor, aut Promotor iustitiae vel vinculi Defensor, ad normam can. 1613 §§ 1-2, abstinere teneantur, vel declarati sint suspecti, Nuntius Apostolicus alios non suspectos substituit. Si vero malor Auditorum pars aus integrum Collegium teneantur abstinere vel suspecta declarata fuerint, causa cognoscenda devolvitur ad Sanctam Sedem.

Art. 30.—Omnis officiales et ministri tribunalis debent absentium collegarum partes mutua vice suplere, atque alter alteri adiumento esse, prout Decanus aequum indicaverit.

Art. 31.—Kalendarium iudicarium, quo indicantur dies et horae quibus tribunal vacat causis agendis, et Auditores audientiam concedunt, decreto Nuntii Apostolici statuitur.

Art. 32.—Omnis qui tribunali Rotae constituunt elusdemque officiales et ministri certis stipendiis sustentantur et, firmo praescripto art. 2, a munere cessant iuxta normas iam antea in Hispania legitime probatas; iidem gravi de causa a competenti ecclesiastica auctoritate removeri possunt.

Art. 33.—Auditores, Promotor iustitiae, vinculi Defensor eorumque substituti, necnon omnes ministri tribunalis Rotae, prohibentur munera advocati et procuratoris exercere, sive per se sive per interpositam personam, apud quocumque tribunal; iidemque districte vetantur ne quavis ratione se ingerant in causas ecclasiasticas ad suum munus non pertinentes.

Art. 34.—Auditores qui secretum violaverint aut dolo vel gravi negligencia litigantibus detrimentum attulerint, tenentur de damnis et a Nuntio Apostolico puniri possunt vel deferri ad Sedem Apostolicam iudicandi ad normam can. 1624 §§ 1-2.

Promotor iustitiae, vinculi Defensor eorumque substituti, necnon omnes ministri tribunalis qui officia sua violaverint, pariter tenentur de damnis et possunt puniri a Rotali Collegio ad normam can. 1625 § 3.

CAPUT III

*De competentia*

Art. 35.—Ob primatum Romani Pontificis quilibet fidelis in quovis iudicii gradu vel litis stadio potest quamlibet causam ad Sanstam Sedem deferre vel apud eam introducere; recursus autem ad Sedem Apostolicam interpositus non suspendit, excepto casu appellationis, iurisdictionem in iudice qui causam iam cognoscere coeperit (can. 1569 §§ 1-2).

Art. 36.—Causae reservatae Romano Pontifici aut tribunalibus Sedi Apostolicae et causae maiores a competentia Rotae Nuntiaturae Apostolicae excluduntur (can. 1557 §§ 1-3, 1600).

Art. 37.—Contra Ordinariorum decreta non datur appellatio ad Rotam; sed de recursibus exclusive cognoscunt Sacrae Congregatione (can. 1601).

Art. 38.—1. Rota Nuntiaturae Apostolicae iudicat:

a) in secunda instantia causas quae iudicatae fuerint in prima instantia a quibusvis Hispaniae tribunalibus metropolitanis vel immediate Apostolicae Sedi subiectis, sublatis tribunalibus semel pro semper designatis ad recipiendas appellations (can. 1594 § 2);

b) in tertia instantia, quatenus necessaria sit, causas quae a tribunalibus metropolitanis dicioni Hispaniae, vel ab ipsa Rota iudicatae fuerint in secunda instantia;

c) in ulteriore instantia causas quae iudicatae fuerint ab ipsa Rota, quatenus ulterior proposicio requiratur.

2. Hoc tribunal iudicat etiam in prima instantia causas quas Nuntius Apostolicus, ad petitionem alicuius Episcopi in Hispania competentis, ob graves rationes eidem tribunali commiserit.

3. Ob graves pariter et probatas rationes, utraque parte petente et consentiente Metropolita, posterit Nuntius Apostolicus, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, causas circa matrimonii nullitatem a quibuslibet Hispaniae tribunalibus suffraganeis in primo gradu iudicatas, Rotae Nuntiaturae Apostolicae in secunda instantia iudicandas mandare.

Art. 39.—Semper integrum erit partibus in hoc mutuo convenientibus causas directe ad Sacram Romanam Rotam per legitimam appellationem deferre, quae a quorumvis Ordinariorum tribunalibus in primo gradu diuidicatae fuerint (can. 1599 § 1, 1.º).

Art. 40.—Querela nullitatis proponitur ad normam can. 1893 et 1895; restitutio in nintegerum vero ad normam can. 1906.

EL RESTABLECIMIENTO DEL TRIBUNAL DE LA ROTA DE LA NUNCIATURA APOSTOLICA

Art. 41.—Si ob ulteriorem causae propositionem, vel querelam nullitatis, vel restitutionem in integrum, nova instantia requiratur et Rotae Nuntiaturae Apostolicae, quavis ex causa, desint iudices necessarii ad turnum efformandum, causa devolvitur ad Sanctam Sedem.

CAPUT IV

*De Procuratoribus et Advocatis*

Art. 42.—Munera procuratoris et advocati apud Rotam Nuntiaturae Apostolicae exercere possunt:

1.<sup>o</sup> Advocati consistoriales, Procuratores SS. PP. AA., Advocati S. Romanae Rotae, si sint hispani;

2.<sup>o</sup> Ii omnes qui a Nuntio Apostolico ad eiusmodi munera gerenda admissi sunt.

Art. 43.—1. Advocati et procuratores Rotae oportet sint catholici atque honestate et religionis fama praestantes. Acatholici non admittuntur nisi per exceptionem et ex necessitate, ad norman can. 1657 § 1..

2. Ut quis habituali advocati vel procuratoris munere fungi ac in proprium eorum album referri possit, hispanica civitate pollere debet. Exceptiones huic normae ab Apostolico Nuntio, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, admitti poterunt in aliqua tantum peculiarari causa.

3. Omnes advocati et procuratores lauream doctoralem saltem in iure canonico consecuti sint oportet atque, post tirocinium apud Sacram Romanam Rotam vel apud Rotam Nuntiaturae Apostolicae laudabiliter absolutum, peculiarari periculo satisfecerint.

Iidem praeterea obligatione tenentur iusiurandum praestandi de munere rite et fideliter implendo.

Art. 44.—Album procuratorum et advocatorum Rotae a Nuntio Apostolico evulgatur.

Art. 45.—Procurator, nisi ob peculiaria rerum adjuncta Nuntius Apostolicus aliter indulgeat, Matriti residere debet.

Art. 46.—Procuratores et advocati Rotae Nuntiaturae Apostolicae tenentur praestare pauperibus gratuitum patrocinium et observare leges canonicas tum communes tum propias eiusdem sacri tribunalis.

Art. 47.—Procuratores et advocati qui officio suo defuerint, possunt a Rotali Collegio reprehensionis nota inuri, poena pecuniaria multctari vel etiam, cum adprobatione Nuntii Apostolci, suspendi ab officio et ab Albo expungi.

Art. 48.—*Procuratorum et alvocatorum emolumenta non alia admittuntur quam quae fuerint a Nuntio Apostolico probata.*

CAPUT V

*De ordine iudicario*

Art. 49.—Apud Rotam Nuntiaturae Apostolicae nullus alius ordo iudicarius admittitur quam qui iure canonico statuitur, sive in Codice sive in aliis normis ecclesiasticis editis vel edendis, praesertim vero, quod attinet matrimoniales, in Instructione Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 augusti 1936, confirmata Pii Pp. XI m. pr. *Qua cura*, diei 8 decembris 1938.

Art. 50.—Cum causa apud Rotam proponitur, petitio vel appellatio dirigitur ad Nuntium Apostolicum, qui Rotae causam committit.

Art. 51. Cum locus est citationi per edictum, Nuntius Apostolicus denerit per quae diaria vel periodica, praeter affixionem ad fines Curiae, decretum citationis edendum sit.

Art. 52.—Si causa ad Rotam delata instructione indigeat, Ponens instructionem peragit, sed potest etiam alii Auditori de turno committere, nisi agatur de causa criminali, quo in casu officium instructoris a Decano alii Auditori turno extraneo demandatur.

Art. 53.—Contra decreta Ponentis vel iudicis instructoris datur recursus ad turnum a quo causa indicanda est.

Art. 54.—Ad Episcopum domicilii coniugum spectat iudicium ferre de exsistentia condicionum de quibus in art. 38 §§ 2 et 39 b) Instructionis Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 augusti 1936.

Art. 55.—Ad Ordinarium coniugis pertinent tutorem vel curatorem admittere vel designare ad normann art. 78 Instructionis Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 augusti 1936.

Art. 56.—Scriptae iudicium conclusiones, de quibus in can. 1871 § 2, et sententiae redigendae sunt lingua latina, nisi iusta causa aliud suadeat.

Art. 57.—Res iudicata efficitur ad normam can. 1902, 1.<sup>o</sup>-3.<sup>o</sup>; et pro causis quae non transeunt in rem iudicatam ulterior causae propositio non admittitur nisi ad normam can. 1903, 1897 et 1989.

Art. 58.—Index taxarum et expensarum iudicialium, nec non emolumentorum pro advocatis et procuratoribus, a Nuntio Apostolico decreto sancitur.

EL RESTABLECIMIENTO DEL TRIBUNAL DE LA ROTA DE LA NUNCIATURA APOSTOLICA

Art. 59.—Rota Nuntiaturae Apostolicae quotannis tenetur referre de sua activitate Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum iuxta litteras eiusdem Sacrae Congregationis diei 1 iulii 1932 et m. pr. *Qua cura* Pii Pp. XI diei 8 decembris 1938, n. V.

Quae omnia motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostri, praesentium Litterarum Apostolicarum tenore plenissime adprobamus, eisdemque supremum Apostolicae Nostrae auctoritatis robur adiicimus, Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, eidemque tribunalii Rotae Nuntiaturae Apostolicae plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VII mensis Aprilis anno MCMXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

PIUS PP. XII.